



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Philletærus Confessor. 30. Decembr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

3. Quid horum omisit Deus, quæ tibi hoc anno  
præstare poterat? tu verò quid non omisisti? Age sis?  
anime mi, reliquum certè tempus hujus anni, & vitæ  
nostræ, Dei gloriæ & saluti nostræ allaboremus? De-  
dimus corpori annum, demus anima dies: vivamus paulu-  
lum Deo, qui seculo viximus totum. Petr. Chrysol.

## S. PHILETÆRUS CONFESSOR.

30. Decembr.

*In hoc cognoscunt omnes, quia Dis-  
cipuli mei estis, si dilectionem  
habueritis ad invicem. Joan. c. 13.*

**M**irantur alii in Philetæro Procos: Nico-  
mediæ filio illustre formæ decus quo il-  
lum ævo suo Diis parem homines fecerunt;  
ego in pulcherrimo corpore pulchriorem ani-  
mum demiror exosculorque; & hoc amplius,  
quod animi æstimator ipse egregius, nihili  
membrorum decorem fecit, omnibusque  
tormentis præbuit lacerandum. Primùm  
Diocletianum vicit, qui cum blasphemus  
Christum incesseret, vindex divini honoris

Phile-

Philetærus terram cœlosque ad iras movit,  
 In fornacem deinde succensam injectus ipso  
 pulchrior egressus est. Jam sub Maximino  
 virgis uncisque fœdum in modum acceptus,  
 omnium tamen in se oculos Superum rapuit,  
 & tum denique his formosus est visus. Fera  
 sive formâ & ipsæ, sive fortitudine adotescen-  
 tis captæ ad pedes se abjecerunt Victoris; feras  
 verò cùm duo homines induissent, gladioq;  
 Martyri imminerent, in loco obriguere. Ul-  
 timò cùm virtus hæc oculos jam Tyranni e-  
 tiam perstringeret, exulare jussa est. Et ecce  
 de via morbi dæmonesque mali cedere, pedi-  
 bus Dii se & templa sua substernere: quibus  
 permotus Comes cum VI. militibus Fidem  
 nostram est amplexus. Philetærus cùm Eu-  
 biotum virum sanctitatis famâ celeberrimum  
 adiret, monitus hic ab Angelo bono obviam  
 Martyri progressus est. In ejus antro Divum  
 septimo die, socios verò duodecimo, ab exi-  
 liō mors absolvit. *Ex Menais.*

## M E D I T A T I O.

### *De amore proximi.*

I. **S**ive animi, sive corporis necessitatibus prematur  
 proxi-

proximus ; quibuscumque poteris rebus , eum debes adjuvare. An implisti hoc anno primum hoc Christianæ Charitatis officium ? Quo ardore aliorum saluti & charitatis officiis incubuisti? Quot occasiones prætermisisti benefaciendo Christo qui in pauperibus delitescebat? Ne te ipsum decipias. *Si quis dixerit,*  
*quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est.*  
 S. Joann.

2. Cave ! ne quemquam factis , aut dictis offendas , quoniam qui proximum offendit, offendit Iesum. Benè sentias de omnibus , nulliusque facta in malam partem trahas. Itane egisti anno præterito ? quoties non paruisti tuis præpositis ? Quoties subditis , & æ qualibus molestiarum segetem præbuisti? Num habes aliquem inimicum ? si habeas , citò citius in gratiam cum eo redi ,

3. An demùm aliis fecisti , quæ tibi facta fuisse voluisses ? vis laudari tu quidem , vis æstimari vis amari , & egrè admodum pateris eos , qui difficile ignoscunt erratis tuis, atque vel verbulo obscurant tuam famam. An aliis præstas , quod exigis ab iis. Omnibus in rebus Iustitiam colas. Omnes comiter , paucos familiariter excipies. Quâ ratione cum aliis egeris , eadem profectò agetur tecum. *Quod tibi non vis fieri , alteri nefceris.*



S. SYL-